

solus hic inflexit sensus animumque labantem  
inpulit. adgnosco veteris vestigia flammae.  
sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat  
vel pater omnipotens abigat me fulmine ad umbras,<sup>25</sup>  
pallentis umbras Erebo noctemque profundam,  
ante pudor quam te violo aut tua iura resolvō.  
ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores  
abstulit; ille habeat secum servetque sepulcro.<sup>30</sup>  
sic effata sinum lacrimis inplevit obortis.

Anna reiert 'o luce magis dilecta sorori  
solane perpetua maerens carpere iuventa,  
nec dulcis natos Veneris nec praemia noris?  
id cinerem aut manis credis curare sepultos?  
esto — aegram nulli quondam flexere mariti,<sup>35</sup>  
non Libya, non ante Tyro; despectus larbas  
ductoresque alii, quos Africa terra triumphis  
dives alit: placitone etiam pugnabis amori?  
nec venit in mentem, quorum consederis arvis?  
hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,<sup>40</sup>  
et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis,  
hinc deserta siti regio lateque furentes  
Barcae. quid bella Tyro surgentia dicam  
germanique minas?

dis equidem auspiciis reor et Iunone secunda  
hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.  
quam tu urbem soror hanc cernes, quae surgere regna  
coniugio tali. Teucrum comitantibus armis  
Punica se quantis attollet gloria rebus.<sup>45</sup>  
tu modo posce deos veniam sacrisque litatis  
indulge hospitio et causas innecte morandi,  
dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion,  
quassataeque rates, dum non tractabile caelum.'

His dictis incensum animum flammavit amore  
spemque dedit dubiae menti solvitque pudorem.<sup>55</sup>  
principio delubra adeunt pacemque per aras  
exquirunt; mactant lectas de more bidentis  
legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo,